


Q. D. B. P.
DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,
De
PARTU DIFFICILI,

Quam,
Consensu & Auctoritate
Illustris ac Gratosissimi MEDICORUM in Almâ hâc
Salanâ Collegii,
SUB PRÆSIDIO
*Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi
ac Experientissimi*

DN. GEORGII WOLF-
GANGI WEDELII,
Med. Doctoris, ac Theoret. Professoris
Publici Celebratissimi, Medici Ducalis Saxonici Felicis-
simi, & S.R.I. Academiæ Naturæ Curiosorum Collegæ
Spectatissimi,

*Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris sui filiali
pietate devenerandi,*

PRO LICENTIA
Summos in arte Medicâ honores, Insignia ac Privilegia
Doctoralia legitimè impetrandi,
Publico Symmistarum examini submittet

BERNHARDUS  Sohner / Vinariâ-
Thuringus,

Addiém Maij A. S. R. c1o 1oc LXXV.
In AUDITORIO MAJORI, horis ante- & po-
meridianis.

J E N Æ,
Literis SAMUELIS KREBSII.



Serenissimo, Celsissimoq; PRINCIPI
ac DOMINO,

DN. BERNHARDO,
DUCI SAXONIÆ, JULIA-
CI, CLIVIÆ AC MONTIUM, LAND-
GRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MIS-
NIÆ, PRINCIPALI DIGNITATE COMITE
HENNEBERGIÆ, COMITI DE MARCA
ET RAVENSBURGO, DYNASTÆ
IN RAVENSTEIN,

Domino suo Clementissimo,

Pro infinitâ & sibi & suis Clementissimè exhibitâ gratiâ,

In subjectissimi animi *ἑμπόρευον,*

Disputationem hanc INAUGURALEM

Ad SERENISS. CELS. Ejus pedes,

eâ quâ debet reverentiâ,

humillimè deponit

SERENISS. EJUS CELSITUD.

subjectissimus servus

BERNHARDUS LOHNERUS.



I. N. J.

Eleganter Hippocrates, Φουλακῆς, inquit, καὶ
ἀριστήμης πολλῆς δεῖ εἶς τὸ διενεγκεῖν, καὶ ἐπι-
θρέψαι τὸ παιδίον ἐν ἡσὶ μήτεσι, καὶ ἀποφυγεῖν
αὐτὰ ἐν τῷ πύκῳ. Custodiâ & scientiâ multâ opus
est in mulieribus, ut in uteris gestent puerum &
enutriant, & ut evadant ab ipso in partu l. 1. de
morb. mul. cap. 42. t. 11.

Hinc, elogio Epiphanii Ferdinandi, duo sunt gravia in
Medicinâ, infantibus & gravidis mederi. Grave est, spem
uteri defendere, ut ad debitum maturitatis tempus intra
claustra sua detineatur fœtus. Grave est, exsolvere uterum
& desideratum offerre fructum, citra vel matris vel fœtus
incommodum.

Mittimus hâc vice, quantum curarum & sollicitudi-
nis primum sibi postulet, ut ad alterum fieri possit accessus,
ast dum huc perventum, hîc opus, hîc labor est.

Tanti est hominem in auras producere, ne addamus,
quantum conservare eundem referat. Assistemus brevî
nostro hoc discursu inaugurali inter sacrum & saxum ver-
santibus fœminis, & quæ in *partu difficili* eveniant, ac quo-
modo juvanda sint, vel moderanda, bono cum Deo expo-
nemus.

Discursum hunc de partu difficili instituentibus no-
bis primo loco tractandam se offert nomenclatura, quâ
tamen vix opus est ut pluribus occupemur, videri tamen
eam in rem latius potest *Rhumelius l. de part. hum. c. 2.* Suffi-
cit nosse, quod cum *parturire* nihil aliud sit, quàm fœtum
vel fructum emittere & producere, teste *Berchorio Dictionar.*

moral. p. 801. hoc loco idem fit, ac fœtum ad destinatum tempus utero gestatum excludere, inq̄ lucem edere.

Involvit verbum *parere* duplicem sensum, significat enim & actionem & passionem. Actio dici potest, quatenus natura fœtum maturum per crisin quasi educere contendit. Passio autem vocatur respectu subjecti, matris nimirum actui huic se subjicientis.

Possent & æquivocæ partus acceptiones tangi, ceu de molâ cœterisque rebus tam præter, quam supra naturam utero exclusis accipitur, ut de fœtu isto lapideo, quem describit *Johannes Alboisius* in muliere Senonensi nomine Columba Chatry, item de variis animalibus, & si relationibus credimus, ipsis pullis Draconibus, vel aliis monstris editis; Impropiè quoque de omnifariis in intellectu conceptis, linguaque aut calamo pariente in lucem editis sermocinationibus scriptisve. Hoc loco & ipsam prolem & pariendi actum complectitur.

Difficilis autem dicitur à causis difficilem reddentibus, à stipantibus quoque symptomatibus, tum & ab eventu.

Per *Συγγομμία* Partus difficilis vocatur etiam *Difficultas pariendi*, Græcè *Δυσκολία*, Gallicè *Enfentement penible*, ou avec grand travail. Germani dicunt, die schwere Geburt / es hält hart / sie liegt in schweren Kindesnöthen.

Definiemus autem, quod sit *fœtus maturi prohibita præter naturam excretio*, multis stipata tristibus symptomatibus, orta à pravâ dispositione partium ad partum concurrentium, vel matris, vel etiam fœtus.

GENUS definiti est *prohibita excretio*; atq̄ ita patet, affectum nostrum numerari posse inter symptomata excretorum & retentorum, id enim quod naturaliter excerni deberet, præter naturam retinetur; reverà tamen actionem pariendi imminutam, depravatam vel abolitam simul includit, quâ de causâ etiam eò refertur ab *Heurnio l. de morb. mul. c. 8. p. 33.* Sequitur autem hoc symptoma pravam partium partui dicatarum dispositionem, tanquam morbum.

SUBJECTUM quod est *Mul. er.*, de eâ enim prædicatur

tur, quod laboret partu difficili, & hoc mulier præ aliis animalibus ferè habet peculiare. Reperiuntur quædam animalia, ut e. g. de felibus dicitur, quæ in partu singulare delectamentum, contra ea in coitu tormentum sentiunt. *Philosophus l. 7. histor. animal. c. 9. τῆς μὲν αἰτ, ἀλλοῖς ζώοις ἐκ ὀπίπνοιο γίνοντο οἱ ἴκοι, ἀλλὰ μετρωτέρως ὀπίδηλαί εἰν ἐνοχλαμμοῦ ὑπὸ τῷ ὄδῳ. ταῖς δὲ γυναῖξι συμβαίνουσιν οἱ πόνοι ἰσχυρότεροι.* Cæteris animalibus partus non laboriosi eveniunt: minus enim cum parturiunt infestari videntur: At mulieribus dolores vehementissimi incidunt.

SUBJECTUM quo est uterus. Afficitur autem uterus vel (1.) per essentiam, ut vitio proprio vel temperamenti, vel conformationis; vel (2.) per consensum, quando nimirum totum vel morbis vel defectu virium laborat.

CAUSA IMMEDIATA est *indispositio partium ad partum concurrentium*, undè consequenter, non ritè se habentibus omnibus requisitis necessariis, partum difficilem consurgere necesse est. *πρὸς τὴν εὐερίαν, verba sunt Pergameni s. aph. comm. 55. ἰσχυρῶν ἀμφοτέρων δεινῶν τῶν σωμάτων, ἴσπερ κούσης αὐτῶν, καὶ τῆς παιδὸς.* Ad bonum partum duorum corporum vigore opus est, & gravide mulieris & infantis. Utut verò finitionib. Medicis c. 22. tertium etiam τρόπον, nimirum τὰ ἐξωθεν, seu ea quæ geruntur, seu foris incidunt, videatur addere, id ipsum tamen utrique commune est, unde recepto ordine de causis hisce δυσκολίας dispiciemus.

MEDIATE REMOTIORES CAUSÆ sunt vel *Naturales* vel *Non-Naturales*, vel *Præternaturales*, vel denique *Supernaturales*.

NATURALES sunt v. g. *Habitus* ac constitutio corporis matris, quæ imbecilla si sit, seipsam juvare non potest, aut si nimis pinguis sit vel obesa, viæ exinde redduntur angustiores.

Temperamentum Phlegmaticum ac Melancholicum; in isto expultrix ob phlegmatis lentorem torpida redditur; in hoc autem retentrix ob acidi succi abundantiam nimis intenditur, ut contra ea quæ calidiores ac humidiores sunt, cæteris paribus facilius pariunt.

Ætas juvenilis concurrît, quæ propter imperitiam præparare ac disponere se est nescia; partes etiam genitales in hac angustiores ferè existunt; undè præcipuè *πρωτότοκος* *primiparis* difficilis contingit partus, quia in hiatu uteri majori violentiâ opus est. Sic etiam si grandæviores jam factæ matrimonium tandem subeant, vel licet juvenes nupserint, declinantibus tamen annis demùm conceperint, in iisdem ob partes per ætatem nimis coalitas induratasque nec distractioni affuetas via venienti fœtui redditur angustior, qualia exempla aliquoties observavit *D.D. Præses*, nisi minor sit ipse fœtus.

Ætate quoque *senili* siccitas sensim major accedit; Cervix quippe uteri in illis dura admodum & quasi cartilaginea existit, teste *Galeno de dissectione uter. cap. 3.* Conferatur *Pinaus de notis Virginitatis lib. 2. c. 6. p. 147.*

Consuetudini etiam aliquid tribuendum, unde præter jam dicta, quæ rarius pariunt, magis dolent, vel difficilius pariunt, quàm quæ sæpius testante *Coo lib. de nat. puer c. 11. t. 3.*

Fœtus duplex vel triplex, qui *Ægyptiis* frequens esse traditur, aut si juxta *Roderic. à Castro lib. 4. cap. 6. de morb. mulier.* inusitata magnitudinis existat, aut exiguus nimis, qui nec vincula disrumpere queat, nec uterus ei adæquetur, aut si magni capitis, vel admodum exigui, hic enim non aperit vias, ut ab obstetrice apprehendi possit, ille difficulter egressum invenit; item si parvi ponderis sit, aut debilis, qui tunc seipsum adminiculantem non præstat; Fœmina insuper, juxta *Avicennam*, majorem creditur inferre dolorem, quàm mas, quippe cum debiliior sit, non ita sibi inter exeundum auxiliatur, id verò, experientiâ teste, fallit.

Dispositio hereditaria an hac quoque facere possit, si quærat, videtur quidem natura liberorum participare de naturâ parentum, ut si pater artuosus habituque corporis paulò habitiori sit, de facili habitus sui ideam per semèn embryoni imprimat. Suboluit hoc *Foresti* socrus, ea enim filias suas maribus humeris latis præditis in matrimonium dare recusavit, ne difficultatem hanc pariendi experiri cogeren-

tur.

tur. Verùm id non tam peculiari feminis dispositioni, ut in aliis morbis hæreditariis accidere solet, adscribendum ducimus, quàm quod, juxta Poëtam, *fortes creantur fortibus*, seu à magno patre non minor filius, quod sæpè quidem fit, non tamen perpetuum est. Ipse verò fœtus si major fit, tum quoad totum corpus, tum imprimis quoad caput, seu naturâ seu morbo, ut hydrocephalo, difficilius editur.

Evenit hoc Serenissimæ Conjugi cujusdam magni nominis Principis, quæ, quoties tempus partûs appropinquavit, toties etiam tormenta sua summo cum cruciatu fuit perpeffa, ut etiam ultimo per Chirurgiam via vi facienda fuerit.

Inter NON-NATURALES CAUSAS memorandus AËR frigidus, præsertim vento Boreali agitatus, cui gravis da corpus si exposuerit, genitalia is constringit, nec dilatari finit; & ab Hippocrate, uti legere est *l. de humidorum usu*, aliàs quoque frigus accusatur, *ὄσεισι, νέυρσι τὸ ψυχρὸν πολέμιον*, ossibus & nervosis partibus inimicum. Huc refertur quoque tempus hybernium, ut plurimum enim partus difficiles ingruunt tempore hyberno, ubi aër, si fides habenda recentioribus quibusdam, multo acido constringente imprægnatus parturientes offendit, ut vinculorum ruptio differatur, quod etiam innuit idem Cous *lib. de aëre, aquis & locis c. 12.* his verbis: *τῶ χειμῶνι ἡσὶ γυνοίξιν οἰδήματα ἐγγίνε, καὶ φλέγμα λευκὸν καὶ ἐν γαστρὶ ἴχθισι μόλις καὶ τικίσι χαλεπῶς μεγάλα τὲ τὰ ἔμβρυα καὶ οἰδέοντα.* Hyeme mulieribus oboriuntur tumores & pituita alba, & vix in ventre concipiunt, ac difficulter pariunt, ac fœtus magnos ac tumidos.

INFLUXUM ASTRALEM tardum etiam ac difficiliorem partum præstare, si ♃ & ♀ maximè in IIX. domo infaustis maleficorum aspectibus irradiantur, & retrogradus Ascendentem obsederit, Astrologorum est sententia. Vid. *Ori-gan. Tom. 1. Ephem. part. 2. c. 12. p. 371.*

CIBUS sine discrimine ingestus, uti alias gignit difficultates, ita partum quoque reddit difficilem. Obsunt autem hîc plurimi fructus horarii, ex quibus parùm nutri-
menti

menti ac virium sumitur, multum verò p hlegmatis, quod
uti ad actiones reliquas, ita etiam ad excretionem naturam
reddit segniorem. Acidi quoq; cibi acetove conditi, aliiq;
astringentes, naturæ ad excretionem insurgenti frenum
quasi injiciunt. Vitiosorum verò ciborum in genere noxam
ad fœtum quoque redundare necesse est, teste *Pergameno*
l. 1. de caus. symtom. c. 7. Inedia protracta enervando corpus
hujus difficultatis quoque mater creditur.

POTUS FRIGIDUS sensum reddit torpidiorem; nec mi-
nus vinum austerum & multo acore pollens partum tardat.

SOMNUS justò longior uti ferè omnes facultates, ita
expultricem quoque reddit torpidiorem.

VIGILIÆ protractæ longiùs Spiritus animales insu-
munt, his igitur consumptis expultrix languet.

A nimio corporis MOTU ac DEFATIGATIONE
diuturniore, præsertim calidiore aère factâ, spiritus anima-
les non tantùm, sed pars quoque sanguinis aquea seu se-
rum nimium exhauritur, atque idcirco humores omnes
viscosiores fiunt, quin functiones omnes naturales labe-
factantur. vid. *Sylvius Prax. Medic. lib. 1. cap. 32.*

QUIES nimia vitæque sedentaria mali hujus ovipara
existit; prægnans enim nihil agendo malè habere discit.

EXCRETA & RETENTA hîc quoque peccant; ita-
que scybala alvina si detenta sunt indurescunt, dumque os
uteri internum comprimunt, fœtum exiturum retardant.
Similiter urinæ copia vesicam distendens uteri cervicem
angustat.

Quæ graviditatis tempore veneri indulgent, difficult-
us parere testatur *Hippocrates l. de superfæt. c. 7. t. 3.* quod fieri
statuit *Trincavell. l. 11. prax. c. 24.* Ob imbecilliozem fœtum
indè redditum; magis tamen id de excessu nimio, si vires
inde debilitentur, quàm moderato usu intelligendum.

Humores in membranis contenti, si ante justum tem-
pus effluant, relinquunt post se vias futuro partui
sicciiores & squalidas. Sanguis cum suo modo etiam inter
excreta & retenta numeretur, hîc quoque accusandus, si
nimirum

nimirum in plethoricis naturam gravet, inque opere suo
interpellet, quò minùs voti sui compos fieri possit.

ANIMI PATHEMATA haud sunt excipienda. Tristitiâ
& animi mœrore humores in corpore omnes redduntur
glutinosiores, ait *Sylvius Prax. Med. lib. 1. cap. 32.* & juxta *Salomonem* spiritus tristis exsiccat ossa.

VERECUNDIA, præ quâ mater ad labores se non accin-
git aut disponit, nec ritè iisdem defungitur, huc referri
potest.

CAUSÆ PRÆTERNATURALES nunc sequuntur.
MATER si præternaturaliter affecta sit, nil boni circa futu-
rum partum cogitari potest, verbi causâ, si lumbis nimis
brevibus aut claudicantibus; aut si laborat orthopnœâ,
seu spirandi difficultate, ut spiritum cohibere nequeat, vel
si muscoli abdominis ei sint resoluti vel convulsi, vel etiam
vulnerati, sic enim alvum comprimere, maturumque adeò
fœtum exprimere non poterit, aut si alio quopiam morbo
sit implicata, vel à prægresso quodam affectu debilitata;
vel si ob dolores modò in unam, modò in alteram partem
huc atque illuc se jactitat, motuque hoc inordinato fœtum
à situ suo naturali dimovet. Uti enim dolorum absentia
frequentissima causa est mali, non accingente se ad expel-
lendum rite utero, vel insufficiens urgentia, si non *ναίτε*
tendant versus pubem, *auff das Schloß des Leibes* vocant ob-
stetrices; ita etiam eorundem nimia vehementia difficilio-
rem reddere partum consuevit, impatientem reddens puer-
peram.

Vitia quidem hæc sunt Præternaturalia non conte-
mnenda, ceu quoque de iis, quæ ad exitum requiruntur fe-
licem, partibus dicemus peccantibus; memorandum ve-
rò h. l. est, matres præter hæc moraliter sæpè peccare, &
tùm suâ, tum obstetricum culpâ partum difficilem sæpissimè
causare; suâ quidem, si delicatula sit, ac labores eos subire
detrectet, quos Deo & naturâ jubentibus sustinere par
est, nec cum agente naturâ mutuas confociet operas, sed
dolores hos ex genio aliorum æstimet, quos retracto sp iri-

B

tu

tu & contracto corpore superare liceat, unde tempus labitur commodum, & post hæc occasio calva est, viribus scilicet interim fatiscentibus, debilitato fœtu, & naturâ surdas, ut ita dicam, aures sollicitante, debitoque largius officio suo functâ. Hinc illæ lachrymæ, hinc redit labor actus in orbem, & ne redit quidem, quæ aurigabat primùm, jam lassâ est, quæ prompta obsequebatur, & freno potius egebat, jam stimulo sæpè inani opus habet. Videas & oscitantes remoram injicere sibi. Mulieres enim ἐὰν ὡς τὸ πόνον ἀνασπασίωσι χασυνησόμεναι, ἢ τὴν ἰσθμὸν ποιήσωσι, δυσκοῦσαι, si in partu vel oscitando, vel aliquâ ejusmodi causâ retrahunt, difficiliter pariunt, *elogio Philosophi l. 1. de Gener. anim. c. 11.*

Obstetricum imperitarum quæ culpa fit, dolendum potius, quàm recensendum est. Hæ enim, ut loquitur *Kerckring. spicil. anat. obs. 36. p. 79.* veluti harpyjæ quædam positæ primo in limine vitæ nostræ statim in pueros matresque incurfant, & vel illos occidunt, vel utrosque malè tractant per incitiam, ut longo tempore post miseram trahant animam. In primis verò in eo ut plurimum earum intempestivo jussu delinquitur, si ἡ μήτηρ ἐν τῇ ὥδινι μὴ ἡσυχάσῃ τὸ πρῶτον, mater in labore primùm non quiescat; vid. *Hipp. l. de nat. puer. c. 42.* Ausim dicere, plurimos infaustos successus hoc pacto consurgere, plurimas mortes. Unicum *Terentianum* illud laudamus in *Andriâ*;

*Sane potilla temulenta est mulier & temeraria,
nec satis digna, cui committas primo partu mulierem.*

Duobus vitiis omnia expressit, si sc. ebriosa fit, largiusque Baccho, quàm *Lucinæ* litet; si temeraria, neque curet, quorum de corio ludatur, vid. *Galen. l. 1. aph. comm. 1.* partus difficilis læpissimè totâ die visitur.

Uterus vitiosâ conformatione, vel intemperie, aut tumore five scirrho affectus, cujus exemplum est apud *Hildanum obs. chirurg. cent. 1. obs. 67.* aut si ob herniam loco suo dimotus fit, vid. *Sennert. instit. lib. 2. part. 1. cap. 9.* mali hujus quandoque existit autor.

Idem statuendum si Uteri os aut cervix rimaque pudendi angu-

angustiores & sicciores sint, vaginaque tortuosa, vel excre-
 scencia in illâ extet. Debebat enim fossa unâ cum rimâ ex-
 ternâ amplior esse, ut fœtus in exteriori parte facilius exiret,
 cum cutis non ita dilatari possit, uti membranosa, quæ intus
 est, substantia, ait *Bartholinus Anatom. Reform. lib. 1. cap. 32.*
 Angustius fit uteri os ac cervix in obesis, quæ ideò ut pluri-
 mum agrè pariunt, imò etiam sæpè planè sterilescunt. An-
 gustior quoque fit uteri cervix, à vicinarum partium con-
 sensu, ut tumore hæmorrhoidum & affectibus ani aliis,
 item à calculo vesicæ, cujus exemplum habet *Thilesius E-*
phemer. Med-Phys. Germanicar. curiosarum anni 1. obs. 106. p. 243.
 Liceat etiam nobis ex fundamentis *Hippocraticis* annotare
 τὴν εὐρυχωρίαν τῶν μήτρων *spatiositatem uterorum*, undè accin-
 gens se ad exitum fœtus faciliè obliquus, vel aliâ vitiosâ fi-
 gurâ ostio appropinquat, quod capite pulsare, non mani-
 bus, vel pedibus, uti mox dicemus, debebat. Illud quoque
 meminisse juvabit h. l. quod si in tubâ uteri (quovis demùm
 id errato conformationis eveniat) subsistat fœtus, partum
 difficilem reddi oporteat, quale exemplum videri potest in
Transact. Anglic. n. 48. ann. 1669. p. 266. confer. Graff. de mulier.
organ. c. 14. p. 260.

Ligamenta dura uterum ad excludendum inclinan-
 tem revellunt. Ossa coccygis firmiorem compagem & arti-
 culationem habentia, item si justò latiora sint, & extra ita
 compressa, ut intus gibba potius quàm cava sint, & apo-
 phyfi prælongâ os pubis fit præditum, ait *Pineus Opuscul.*
Physiolog. lib. 2. p. 109. & ab osse sacro non satis distent, fœ-
 tui exitum quærenti viam præcludunt, ut ita vel occipite
 vel syncipite infans in istis angustis hæreat, quæ maxima
 partus difficilis causa est, ob quam & fœtus & mater pericli-
 tantur, imò sæpè pereunt; quod fit etiam ob ossa coxendicis
 malè formata & sita in claudicantibus. *vid. Sennert. Med.*
Pract. lib. 4. part. 2. sect. 6. cap. 4.

Apud *Bartholinū* Americus Vesputius probare satagit, fre-
 quentem in Antartico solo fieri conceptionem sine læsâ
 virginitatis notâ, hoc si verum, difficilis dubio procul in-

sequetur partus difficilis. Et apud *Sennertum* Julius Obsequens refert C. Claudio, & M. Perpenna Coss. mulierem duplici naturâ inventam fuisse; talis cum extraordinariè affecta fuerit, extraordinarios omninò quoque labores sustinuisse in partu, siquidem peperit, suspicamur.

MEMBRANÆ si crassiores obstiterint, infans eas per-rumpere non par est. Si autem tenuiores, prius quàm par est, lacerat & humore effluit, ita postmodum via fit ficcior tempore partûs, quæ causa difficilis partûs frequens est, raris in contrarium prostantibus exemplis. Hinc si purgamenta *περὶ τῆς ἐμβρυῶς* ante partum emittantur, necesse est esse *τὴν ὠδὴν ξηρὴν καὶ σπύροον* partum siccum & cum dolore laboriosum, quæ sententia est *Coil. l. de exsect. fæt. c. 2.*

Vasa umbilicalia collum fœtûs aut pedem si circum-dant, partum reddunt difficilem.

INFANS ÆGER in causâ est vel ob debilitatem, qui neque membranas per-rumpere, neque alio modo exitum affectare potis est, præsertim planè mortuus; vel malè conformatus, e.g. si caput habeat nimis magnum, aliâve malâ vel monstrôsâ corporis conformatione sit præditus, quælia quidem exempla plurima hinc inde annotata videmus; vel quod palmarium est & frequentissimum, si vitiosum & præternaturalem situm in exitu nanciscatur.

Variæ de situs hujus, seu exitus naturalis & p. n. differentiis sunt autorum Medicorum opiniones, licet omnes hæ non tam dissentiant, quàm variè, magisque vel minùs eas dividant. Regulæ Lesbix loco est, quod *χωρὲς τῆς κεφαλῆς, εἰ καὶ φύσιν ἴη.* procedit in caput, verba sunt *Coil. de nat. pueri c. 3. t. 16. si secundum naturam prodierit.* Hic positus verus, legitimus ac ordinarius est, quò præsentē cum debità *ροπή*, facilis contingit partus, aut si aliquatenus remoretur, saltim partus difficilis naturalis nomine venit; reliqui omnes difficilem præstant. Neque obstat, quod *Peregrina l. 1. de curand. morb. c. 59.* ad naturalem figuram referat, quando pedes ambo priores apparent, & manus non supra femora, sed in sublime erectæ fuerint. Demus enim, re-
spectu

specu aliorum hunc modum naturali proximum esse, non
æquè tamen & ille facilis obvenit, sed suas non minùs habet
difficultates, unde ab *Hippocrate. l. 1. c. 42. t. 9.* meritò accu-
satur.

Reliqui status p. n. à primiceriis artis ad certas classes
solent redigi, ad duas quidem à laudatissimo *sene, πλάγιον*
ἢ ἑπὶ πόδας, in obliquum (quò prominentia manus refer-
tur *l. de exsect. fat. c. 2. t. 7.*) aut *in pedes*: A *Galeno* ad tres: τὸ
ἑπὶ πόδας, τὸ πλάγιον, καὶ τὸ διπλῶν, in pedes, in latius, in du-
plum, finit. med. c. 22.

Additæ à posterioribus figuræ sunt aliæ, ut, *Rhodio-*
ne, Scipione, & imprimis Sennerto l. 4. med. pract. part. 2. sect.
6. c. 5. notantibus, ad sedecim excreverint. Facilis tamen est
conciliatio, si dicamus, priores modos frequentius, hosce
rarius dari, & curiosius potius annotatum ab his, qui ob-
tingere possint, quàm qui in quotidianâ praxi accidant
magis. Videri possunt iidem *l. c.* nobis enim illos huc
mutuari minùs cordi fuit.

Infans mortuus matri, & obstetrici & Medico diffici-
les exhibet labores, ac nisi in tempore extrahatur, mater
magno vitæ periculo exponitur, difficilior nempe est mor-
tuo quàm vivo fœtu ut plurimum partus.

SUPRANATURALES CAUSÆ agmen claudunt, quæ sunt
v.g. *Vindicta Dei*, qui ob inobedientiam primorum parentum
muliebri sexui calamitatem hanc ferendam imposuit, ut re-
cordentur primæ matris lapsum, originaleque adeò pecca-
tum, quod legere est *Genes. 3.* Actuale quoque peccatum
Deum sapiùs ad vindictam irritat, ut e. g. quando mulie-
res quædam præfractæ mentis prostratiq; pudoris benedi-
ctionem conjugalem à Deo concessam devotè, ut fas est,
non agnoscunt, sed, ut impiæ solent, blasphemis dirisq;
eam laceffunt, non dicam, quod de clementi solutione De-
um exorare curæ sibi nullo modo habeant.

Diabolus ut totius generis humani, ita omnis partus,
exosor per fida sua instrumenta veneficos veneficasq; non
solum conjugio jungendis, sed etiam junctis jamdum va-

rias struit machinas, insuper quoq̄, ubi datur occasio, par-
turientibus multum negotii faceffit. Videri hanc in rem
merentur, quæ tradit D. D. Frommannus Tract. de fascinat l. 3.
p. 4. f. 1. c. 10. p. 620.

Crediderunt etiam Ethnici, carminibus & arte magicâ
partum effici posse difficilem, uti videri potest apud Ovidi-
um l. 10. Metamorph. ubi inter alia canit:

*digitis inter se pectine junctis
sustinuit partus, tacitâ quoq̄, carmina voce
dixit; & inceptos tenuerunt carmina partus.*

DIFFERENTIÆ sumuntur (1) *A formâ*: Alius partus diffi-
cilis est *naturalis*, cum fœtus situm atque conformationem
naturalem obtinet, & tantummodò vel ratione magnitu-
dinis, vel alterius cujusdam accidentis culpâ difficilis eva-
dit. Alius *praternaturalis*, ubi vel situs vel conformatio
praternaturales sunt. (2) *A materiâ*; Alius est *mortui*, alius
est *viventis*; Alius *robusti & valentis*, alius *debilis & imbecillis*:
Alius *magni*, alius *parvi*: Alius *unius*, alius *plurium*: Alius *rectè*
formati, alius *monstruosi*.

Subjecti ratione alius est ab imbecillitate matris, alius à
viarum angustia, alius ab earundem malâ conformatione.
Alius etiam est per *πεωρεπάθειαν*, alius per *δὲ πρηπιδείαν*.

Temporis ratione, alius est *brevior*, alius *diuturnus*; Alius
per horas seu dies, & amplius alius producitur.

Ratione *eventus*, alius est *salutiferus*; alius malum post
se relinquit habitum figuramve, alius denique est *mortife-
rus*.

SIGNA DIAGNOSTICA, ex quibus partus futurus diffi-
cilis judicatur, plurima desumi possunt à causis præceden-
tibus, si nimirum omnia circa matrem, fœtum atque ute-
rum diligenter perpendantur. Si v.g. mulier aliàs difficili
partui obnoxia fuerit, significabit præsentem forsan fore
etiam non facilem.

Communia quidem sunt cum partu naturali instantis
enixus signa, respiratio frequentior, dolor lumborum, mo-
lis ipsius ventris versus pubem procubitus, & alia, quo de
videri

videri potest *Hipp. l. 1. de morb. mul. c. 51.* & alii, sed quæcunq̃ circa hæc insolita occurrunt, vel in *defectu*, vel in *excessu*, de quibus quidem abundè satis in causis egimus, difficilem fore vel adesse minitantur & innuunt partum, unde si parturire incipiat mater, ipsa, an facilè an difficulter pariat, cognoscet, & an fœtus brevi vel facilè edatur, per se patet. Duo tamen potissimum partum difficilem signa comitantur, quæ idcirco in primis memorabimus. Alterum *dolorum carentia*, quos natura ceu stimulum ordinavit extrudendo fœtui, hinc malum omen est, si dolores partus sunt insufficientes, non adacti, languidi, & per longa interval- la recurrunt, & ad dorsum potius, quàm versus pudenda vergunt, unde *Aristot. 3. histor. animal. c. 9.* quibus, ait, alvum tormina vehementer exercent, ocysimè pariunt, quæ lumbos dolent, vix pariunt, quæ imum ventrem, expeditiùs. Hic opus est ariete, hinc iuvamen exposcit natura, exosa sui destructionem.

Alterum est *prodromi vitium*, aquæ puta ordinariæ, hinc, verbis *L. Mercati l. 4. de morb. mul. c. 3. pag. 721.* peculiare signum est difficilis partûs, quod diebus aliquot ante partum seu maturiùs copiosa profluat ab utero aqua, & consequenter viæ angustiores præcludant exitum. Referendus eodem quoq̃ est effluxus ejusdem prohibitus, qui tamen præ illo rarior est. Crebra olcitatio accedens idem annotat.

Mater an sit imbecilla, constabit ex propriâ relatione, & morbis si implicita, ex cujuslibet morbi symtomatisve essentialiter inhærentibus ac consequentibus haurietur.

Fœtus debilitas, ut *causa* & ut *signum* hujus difficultatis, cognoscetur, si rariùs vel languidiùs se moveat: Si mammæ quæ turgidæ antea erant, subito extenuentur, & lac copiosum vel aquosum fundant. Elogio enim *5. aph. 52.* *si cui mulieri gravida lactis copia è mammis profluat, infirmum esse fœtum significat.* Si menses sæpius gravidæ fluxerint, alimentum fœtui abripitur, juxta *5. aph. 60.* *Si mulieri gravida menses fluant, non potest fœtus esse sanus.* Et si mater alvi profluvio laborat, ob defectum alimenti unâ subtracti fœtus debilitatur. Prætereà

tereà fœtum sanum in matre ægrâ vix invenies. Mirandum tamen hoc loco vel obiter est naturæ robur in gravidis, ut & ab Hippocrate ipso annotatum sit *l. 5. epid. c. 33.* dysenteriam partu feliciorē succedente terminatam, & in quamplurimis id observavit *D.D. Præses Ephem. Germ. Ann. 2. obs. 12. p. 22.*

Gemellos, partum sæpè difficilem reddentes, adesse suspicamur, si motus non sit unicus, sed sæpè in duobus locis percipiatur, nec etiam sit uniformis, tactu is quoq̄ erit perceptibilis. Quæ geminos gestant, ventris molem non ita æqualem habent, sed eminentiis quibusdam & rugis ac sulcis quasi divisam, majus etiam pondus ferè sentiunt, quàm quæ unum fœtum gestant, & quidem inæquale pro hujus vel illius inæquali magnitudine, cum sæpè plures fœtus vix ejusdem roboris & magnitudinis esse soleant.

FOETUS MORTUUS cognoscitur, quando à motu antehac vegeto prorsus cessat, & mater se movens eum instar lapidis de loco in locum delabi sentit, ventris adest frigiditas, dolor circa umbilicum gravis, partes extremæ lividæ ac frigidæ apparent, facies & imprimis labia pallent, mammæ flaccescere incipiunt, spiritum fœtidum mater exhalat, horror febrilis corpus succutit, animi deliquia, stomachi ac capitis dolores, interdum etiam convulsiones accedunt. Secundina quoque si ante fœtum excludatur, eum mortuum indicat. Videri hanc in rem meretur *Lang. l. 2. epist. 39. p. 737.*

Si *vitio ligamentorum* oriatur partus difficilis, circa dorsum dolor intensus sentietur. Si autem *vitio ossium*, dolor circa eorum regionem id prodet magis. *Vie* an in culpâ sint, obstetrix tactu explorabit. *Secundinas* duriores esse, nec rumpi posse cognoscitur, quando parturitionis labores perseverant, & nihilominus aqua non effluit.

PROGNOSIN considerantes non possumus quin exhorrescamus, si nomen saltim affectus audiamus; est enim ille per essentiam magnus, periculosus, quasique hæreditarius muliercularum hostis, & talis, qui haud rarò & matrem & fœtum prosternit obruncatque. Hinc *Medea* apud *Euripidem act. v. 1. 202. & 203.* exclamatio;

ὡς τρεῖς ἄν παρ' ἀσπίδα
ἤναυ θελοῖμι ἄν μάλλον, ἢ κενὸν ἀπαξ.
- - mallem enim ter ego
in acie stare, quam semel parere.

Magnus ac periculi plenus est ob cerebri aliarumque partium principium consensus, quæ subinde in actionibus suis turbantur, inde sæpius præsto sunt lipothymia, palpitationes cordis, anxietates, suffocationes, epilepsia, deliria &c. Hippocr. lib. 5. aph. 31. ait; *Mulieri gravide, capi ab aliquo morbo acuto, lethale est.* Alia quoque gravia difficultatem pariendi manent symptomata, ut sunt: ruptio vasorum pectoris, undè phthisis, sanguinis sputum, molestaque tussis exhalatio, dilatatio colli partium, inde scrophulæ. In nonnullis rumpitur etiam peritonæum, sequunturque herniæ tum umbilicales, tum inguinales, quibusdam pupillæ dilatantur, læditurque visus, quædam corripiuntur stillicidio urinæ, imbecillitateque lumborum, interdum claudicatio, sterilitas, nimia amplitudo, deformesve ventris rugæ illas reddunt ingratas. Coalitus quoque matricis post difficilem partum observatus à Doctoribus est. Uteri procidencia haut infrequens hoc in partu est, siquidem violentiori tractione, quæ continebat, non rarò sequi cogitur, & nisi blandè reponatur, alia symptomata plura excitat.

Uterum à fœtu ob angustiam viarum exitum non inveniēte fuisse disruptum, reliquit *Hildanus cent. 1. obs. 64.* qui fœtus autem hæc vi & sibi & matri mortem accersivit.

Albertus M. de secretis mulierum, partum aliquando adeo fieri difficilem inquit, ut omnia ossa frangantur, & fiat scissura continua ab ano ad pudendum; quod etiam se observasse testatur *Rodericus à Castro lib. 4. de morb. mul. cap. 6.*

Fœtus monstruosus vel situs ejus vitiosus parùm boni promittunt. Fœtus si vasis umbilicalibus circa collum aliquoties involvatur, spes erit nulla, qualem casum legere est in *Medicinâ Criticâ D. D. Ammanni casu 87.* ubi ob hocce impedimentum *Facultas Medica Lipsiensis anno 1628.* obstetricem in responso absolvit.

C

Mor-

Mortuum non rarò quoque mortem matri induxisse, compertum est. Secundinas relictas mortem inducere posse, multa exempla probant, sive aliâ de causâ restent, errore v. g. obstetricis, seu adnatæ fuerint, tum ob quietem & vitam desidem, quod notavit *D.D. Præses in MSS. de morb. mul.* tum ob calorem extraneum, infessum v. g. carbonum, & calefactis prope fornacem lumbis, teste *Crotone conf. 363.* Hinc, elogio *Hippocratis lib. 1. de morb. mul.* si secundinæ statim à partu non discefferint, imi ventris dolores in lateris inanitate suboriuntur, & rigores & febres. Verbo, quò magis à statu naturali secedit, eò periculofior & tardior metuendus est eventus, quò minus, eò major spes affulget. Unde ab experienciâ enatum *DD. Præsidis* axioma laudamus: *Quando partus difficilis adest, cum omnibus requisitis bonis, non desperandum est.*

Sic etiam bonam spem facit mater, si est hilaris ac constantis animi, vires quoque sufficientes, & cœteræ facultates naturales sunt usui aptæ. Neq; tamen meticulosæ parientis adeò attendendæ querelæ, moriendum sibi esse, non suppetere vires, actum esse, somnum se malle, & quæ alia sunt similia. Si sternutamentum supervenerit, bonum est, argumento *s. aph. 35.*

Extrema matris si frigent, somnus præternaturalis, sudor frigidus syncopticusque, item suppressa respiratio, haut fallaces mortis insequentis sunt prodromi, ut annotavit *DD. Helinus, in responsis Medicis Balthas. Timæi p. 116.*

Matre tristi desperatâq; aut risu Sardonio correptâ, nil salutaris sperandum.

Ad MEDENDUM nunc præmissis præmittendis nos accingimus; antequam autem ipsam medendi methodum, quæ tribus suis indicationibus, *curatoriâ* scil. *preservatoriâ*, ac *Vitali*, non neglectis juxta symptomatibus, conspicua est, aggrediamur, præmitteremus quædam de qualitatibus ac officio obstetricis, tanquam unius quoque Medicorum speciei, nam in Jure quoq; obstetrices pro Medicis habentur, latè quidem sumendo; confer. *Pacian. de probat. l. 1. c. 47. n. 132.*

Esto

Esto autem obstetrix *'fidelis'*, ne partum falsum supponat, vel infanti aciculâ cranium perforet; sit *pietate & modestia celebris* *Exod. c. 1.* sit vidua, aut saltem non juvenis, sed provectoris aut mediæ ætatis, non enim ista decent juvenculas, laboris patiens, prudens, eorumque quæ ad partum requiruntur benègnara. E re quoque foret, eam anatomix spectatricem fuisse, quò partes genitales situ suo superbientes cognitæ sibi reddiderit; tempus partus benè noscat, dolores etiam dignoscat, nequæ alios dolores ventris, ut colicos, pro partus ingruentis doloribus, vagos pro constantibus habeat, & ita puerperam ad labores incassum adhortando vires ejusdem conterat, ut monet *Burgesia Regina Gallie obstetrix in libro suo obstetricum part. 1. c. 9.* Semper parata sit prægnavanti succurrere, ac quando humores effluunt, infanti auxiliares ferendi manus tempus non dimittat. Ipsa quoquæ si pepererit, meliùs foret, nequæ enim id absolutè opus esse, exempla *D.D. Præsidi* nota confirmant. A magistratu, cui salus incrementumquæ subditorum cordi est, peritis Medicis, antequam officio præficiatur, examinanda tradatur, nec vel ob favorem vel alia præstita officia ad munus hocce sacrum recipiatur. Non sit loquax, ebriosa, vel arrogans, rixosa, vel avara, non decrepita, quæ ob virium aut visus imbecillitatem, vel manuum trepidationem rem malè gerat, hinc opus erit, ut viribus constet, quò possit infantem vitiosè situatum vel monstrosum ad situm adæquatum reducere, adeòquæ & matris patrisquæ expectationi velificare. Caveat insuper, ne quid temerè vel odii vel favoris gratiâ circa partum audeat, sciat enim *Actum Ulpianum* tam præmium quàm pœnam obstetricibus, si quæ dolosè quid agant, constituisse. *l. 1. §. 11. extraord. cognit. Lege item si obstetr. ff. ad leg. Aquil.*

Sprenger. in mall. malefic. p. 11. q. 1. c. 13. refert: maleficas esse confessas, neminem religioni magis nocere, quàm obstetrices; ubi enim pueros non interimant, tunc, quasi aliud acturas, foris extrâ cameram infantes portare, ac sursum in aère elevando dæmonibus offerre.

Officium obstetricis antiquitus tribus constitit articulis, ut legere est in *La commare del Scipione Mercurio*, (1) perspicendum iis erat, an foemina esset gravida vel non, ut si qua actio de tali casu instituenda, iudex in ferenda sententia errorem non committat, vid. *t. t. de ventre inspiciendo*; (2) cognoscendum, referendumque iis erat prius, quam virgo maritaretur: an sit ad sobolis procreationem idonea, qualisque mas cum ipsa liberos generare queat, id quod ex temperamento, corporis ac partium genitalium dispositione conformationeque suspicabantur; (3) de quo hodiernum magis gaudent, erat, ut praegnantibus oleum & operam ministrarent, eisque ante, in & post partum prospiciant, infantique umbilicum rescindant, secundinas extrahant, reliquaque, quae circa matris ac infantis munditiam obeunda, praestent.

Ex officio hocce hodierno ostetrici competet, ut si ad parturientem vocata est, omnia, quae circa ipsam tractandam necessaria, caute praevideat observetque, neque in se solam opus hoc difficile temerario ausu suscipiat, praecipue si difficilius procedat negotium, verum alias prudentes & cordatas foeminas sibi adjungat, quae, cum opus fuerit, consilia sua cum ipsa communicent, auxiliaresque manus porrigant, oleum v. g. linteamenta, forcipem ad rescindendum umbilicum, vel ligamentum ad alligandas, exire si renitentur, ad femur, donec vel natura vel arte expellantur, secundinas, ne si forte ob imprudentiam dimittantur inque uterum resultent, puerperae postmodum quid mortiferi inferant, aut si aliud quid usus postulet.

Hilari vultu parturientem excipiat, lepidis facetiis, promittendoque illi faciles labores ac elegantem puerum ejus animum erigat, deque hujus vel illius matronae felici partu verba faciat, prudenti caeterum sermocinatione bonam sibi apud eam conciliet confidentiam: vetet ipsi quoque, ne cibo aut potu nimium se repleat, praesertim caveat acida, ventos quoque clausis janua ac fenestris illi, nisi ad recreationem, defendat.

Instante partu gravida commodè locanda est. Mittimus

mus hîc varios pariendi modos, seu in lecto id fiat, seu super femora viri aut mulieris, seu super arte paratas culcitrâs ac saccos. Lacænâ mulieres, quasi meros martios pullos exclusurâ, quâ ipsarum erat opinio, parientes scuto insidere solitâ sunt, teste Nonno l. 4. Dionys. unde proverbium natum: *sole Lacena viros pariunt.* Optima est sella, ceu & olim exclusionē fœtûs factâ, in sellâ positâ puerperâ, ex inexhausto antiquitatum fonte sacro *Exod. i. v. 16.* ubi vox על-האבנים occurrit, luculenter patet, unde Arabs *ad exedram* vertit. Nec obstat, quosdam paulò aliter sentire, nam & contextus, præcipuè additus articulus על, & Judæi accuratiores nobis assentiuntur. Sic, quod affectui & communicationi Excellentissimi Dn. Frischmuthii debemus, R. Abarbenel ad verba על האבנים hunc in modum scribit: הוא משבר אשכ תשב שמה האשה בשעה: היא ילודה: *est sella cui insidet fœmina tempore partûs.* Subjicit: ויש אומרים שהוא כלי עשוי מאבנים על יזורת: *sunt qui dicant, esse vas lapidibus constans, secundum formam duarum partium, inter quas fœmina stet.*

Fit tamen, ut quandoque situs ille mutari debeat & possit. Hinc parturiente in sellam usu receptam, seu à D. D. Welschio in comment. ad Scipionem Mercurium pag. 262. depictam, aut in lectum justo situ, ita, ut ne tota sedeat, nec tota decumbat, collocatâ, aut si maluerit, quod quibusdam commodiùs est, stando ac ad lectum se inclinando parere, locum ante parientem occupet decliviorē obstetrix, præmissâ exploratione, pudendorumq; ventris, perinæ, ac circa ossa pubis ac os sacrum oleo amygdalorum dulcium, sive liliorum alborum, sive sesamino inunctione, observet dolores ac uteri aperturam, ut parientem ad conandum seq; juvandam hortetur. Potest etiam, re ita non succedente, suadere parienti, ut surgat, ac leni deambulatione, sive per se, seu ductu aliorum exitum fœtui paret. Diductis postea labris si viderit os uteri internum apertum, fœtumque capite ingressum, jubeat prægnantem, ut compressio spiri-
C 3.
tu suf-

tu sufficienti corpore motu partum promovere non deficiat, unà etiam parientis abdomen leniter comprimendo expulsionem velificet.

Elegantissimè de officio hoc obstetricum agit Pergamenus l. 3. de nat. facult. c. 3. αὐτὰρ μαῖα, scribes, τὰς τικλίσσας ὅτι εὐθὺς ἀνιστῶσιν, ἔδ' ἑπὶ τῶν διήφρων καθίζουσιν, ἀλλ' ἀπὸ τῶν πρῶτον ἀνοιγομένων τῶν σώματι καὶ βραχὺ, καὶ πρῶτον μὲν ὡς τὸ μικρὸν δάκτυλον καθιέναι, διεσηκέναι φασίν, ἐπειδὴ ἤδη καὶ μείζον, καὶ καὶ βραχὺ δὴ πυθτανόμενοις ἡμῖν ἀποκρίνον τὸ μέγεθος τῆς ἀσπίσεως ἐπαυξανόμενον. ὅταν δ' ἰκανὸν ἦ πρὸς τὴν τῶν κυσμάτων διόδον, ἀνιστῶσιν αὐτὰς καὶ καθίζουσι, καὶ πρῶτον μείζον καλῶσιν ἀπὸ τῶν τῶν παιδίων. *Obstetrices non illicò parturientes surgere jubent, nec in sellâ collocant: imò prius os uteri, quod paulatim se aperit, tangunt, ac primò quidem sic, ut parvum digitum in id immittas, hiscere dicunt, postea verò etiam magis. Parvâ autem interpositâ morâ, percontantibus nobis respondent, debiscens ejus modum auctum; postea verò, quàm ad fœtus transitum satis patet, surgere mulierem jubent, & in subfello collocant, ac ad expellendum strenuè fœtum se paret, adhortantur. Confer. Nic. Pifo. l. 3. de morb. cognosc. & cur. c. 55. p. 824.*

Forestus observ. lib. 28. obs. 76. ne rima vulvæ cum ano unum fiat foramen, consulit, ut antequam partus rejiciatur, aut nixus contingat, pannum lineum molliusculum instar pilæ oblongum ac contortum habeat paratum, inque anum ponat, ut in quolibet conatu infantem ejiendi firmiter obstetrix eundem pannum in anum imprimat, ne ejusmodi continuitatis solutio fiat.

Membranas duriores, infantemque captivum adhuc tenentes, unguibus aut cultello cautè, ut ne fœtum lædat, aperiat; cæterùm situs vitiosos, si qui obveniunt, ut mox dicemus, dexteritate suâ, in quantum quidem possibile, ita dirigat, ut prævio capite, qui modus optimus, habitaculo suo egrediatur puer.

Egredientem subtili prehensione attrahat, cavendo, ne corpore adhuc cereo quid distorqueat vel laceret, hinc manu

manu eum sublevet, ne celeri nimis lapsu in linteum tepere-
factum cadat, adeoque vitium aliquâ parte capiat.

Edito fœtu, teste *Sennerto Prax. lib. 4. part. 2. sect. 6. cap. 3.* sanguis, qui in vasis umbilicalibus est, versus infantis umbilicum comprimatur, & relictâ parte quatuor digitorum transversorum longitudine ea abscindantur, umbilicus filo proximè ad ventrem pollicis à ventre spacio constringatur mediocriter, vulnerique linteum duplicatum oleo rosaceo madidum imponatur.

Si in partu infans quasi semianimis in lucem prodeat, diligens cura ejus habenda, ne planè emoriatur, ideoque obstetrix prudens spiritum ipsi per utrumque os ore & pennâ inflare, aromata mandere & halitum aspirare, solet, melle quoque os inungit, linguæ instillat guttam aquæ vitæ, narium quoque foramina & pulsus eâdem perungit

Secundina deinde veniunt extrahendæ, quod fit repetitâ paulisper abdominis compressione & labore à puerperâ, vel si opus sit, obstetrix manum oleo calido inunctam in uterum immittit, easdemque leviter attrahit, sic facilè sequentur; sin uteri parti alicui accreverint, leviter hinc inde trahendæ ac circumagendæ, ne uterus procidat, aut unâ foràs rumpatur, sic insequentibus unguibus paulatim ab utero dividuntur, atque solutæ extrahuntur.

Tum puerpera verbis ac herbis refocillata jubetur, ut complicatis cruribus, ventre verò ipso ligato, ut promptius subsideat, in lectum calefactum decumbat, lochiorumque effluxum expectet.

Intereâ obstetrix infanti sordes mucumque solito lavacro abstergat. *Bonaciolus de fœt. format. pag. 313.* muriâ pauci salis, cui admixta sint costus, sumach, fœnum græcum & origanum, fœtum præter os & nasum circumluit, id quod & olim jam in usu fuit, fœtui enim in lucem edito, primò præscindebatur umbilicus, hinc aquâ lavabatur, ut mundus fieret, cum sale fricabatur, & in fascias involvebatur, qui mos ex sacris patet, *Ezech. 16. v. 4.* Hodiè verò exolevit, & tantùm ferè plantæ cephalicæ ad præservandam epilepsiam indi lavacro primo solent.

Ex-

Expiscetur autem, ne lavacrum nimis sit calidum, quod infanti summè noxium, imò nonnunquam mortiferum. Anno 1626. ejusmodi lavacro calidiori filius Comitis cujusdam posthumus, unicus comitatus sui hæres, reclamantibus etsi adstantibus mulieribus, lotus, inque eo, multùm licet ac miserè vagiens, coct⁹ quasi à temerariâ quâdam obstetrice est, super quod facinus à Facultate Medicâ Lipsiensi responsum petatum, obstetrixque mortis pueri rea proclamata est, vid. *Med. crit. D. D. Ammanni casu 76.*

Post balneum, ut eò quoq; digrediamur, solent infanti quid de *saccharo penidio cum oleo amygdalor. dulc.* in mortario lapideo subactò exhibere ad expurgandum meconium, quod nisi expurgetur, infanti gravia tormina aliaque mala causatur; licet *Spigelius part. 2. de format. fæt. cap. 3.* non opus esse putet alieno purgante, cum natura provida jamdum infanti prospexerit, dum nimirùm lac maternum hujusmodi virtute donaverit, ut si quid purgandum in infante sit, per idem lac maternum primum serosius æquè possit evacuari.

Theriaca etiam à quibusdam exhibetur infantibus recens natis, quod malè fieri ait *S. Pauli quadripartit. botan. pag. 19.*

Et hæc quidem de statu ordinario; Sin figura naturali contraria se offerat, obstetrix tum proprio, si callet, tum Medici potissimùm consilio maximè situm attendat parientis, das Lager. Correctione enim indiget fœtus conatus, unde retrò protrusum vertere oportet, ut in statum naturalem vel eidem proximum reducatur. Fit hoc potissimùm, si supina locetur patiens, reclinato capite, elevatis verò coxis & posterioribus, dirigente intereà obstetricante manu fœtum in situm convenientem, qui positus necessarius utique est. Concussio verò ipsa, quam *Hippocrates l. de extract. fœtus c. 3.* præcipit, cautius ineunda. Exempla videri queunt apud *Binninger. cent. 3. obs. 81. & cent. 5. obs. 79.* Utrouque tamen directore opus est Medico, qui & juvare medicamentis naturam, & ἐγχειρήσθαι, si opus, promptus esse debet.

Medi-

Medicus si suffecerit ad cognoscendum, sufficiet quoque ad sanandum, dictum est *Hippocratis* l. de arte. Satis igitur faciet suo officio, quando exploratis singulis causis secundum indicationes indicata sua exhibeat: omnis enim methodus procedit per indicationem, & varianda curatio pro varietate causarum. Notum etiam est axioma Medicum, medentis oculum sinistrum oportere esse intentum morbo, dextrum autem reservari viribus, à quibus tanquam magis urgente initium hoc in affectu sæpe capiendum est.

Matrem igitur *Medicus* si offendit *debilem*, viresque ad pariendum non suffecturas, opus est, ut exhibeat ipsi quid de corroborantibus & analepticis, ut *spiritum analepticum Rolfincii*, aut vitellum ovorum cum vino Rhenano, saccharo & cinamomo, quod Galli *chaudeau* vocant, vel *confectionem Alkermes*, hinc inde in *observationibus Hildani chirurgicis* se commendantem, vel ipsum denique *vinum*, ut *alia aromata & oleosa* taceamus.

Ad *debilitatem* *fœtus* propinetur cochlear unum *balsami embryonum*, ventri quoque *crusta panis tosta*, vel *panis mellitus cum amygdalis*, vino *Malvatico* imbutus, ac pulvere *cinamomi* aliorumque aromatum conspersus imponi potest, ditioribus hoc balsamum commendamus:

Rz. extr. ling. aloës, chermes, ol. nucist. expr. ā ʒiʒ.

bals. peruv. ʒj. vit. Schröderi ʒʒ. ol. meliss. gut. vj.

M. D. ad pyxid. lamin. S. eiserlicher Balsam.

Pro matre & fœtu confortandis hanc etiam commendamus emulsionem:

Rz. amygd. d. ambrosin. ʒj. pistac. ʒiij.

aq. borrag. meliss. ā. ʒiij. cinam. c.v. analept. Rolfinc. ā. ʒj.

F. l. a. Emulsio, adde bals. embryon. temperat. ʒiij.

ess. ambr. gtt. xx. perlar. ppt. ʒj.

M. D. ad vitrum. S. Stärck-Milch.

In *plethorâ* quoniam ob sanguinis copiam vires tam matris quam fœtus, qui præ nimio nutrimento obrutus quasi est, languescunt, consultum erit venam pertundi, quò natura

D

tura

tura sanguinis onere liberata eò alacrius excludendo fœtui se accommodet, unde non solum, elogio *B. Schenckii dissert. de V. S. decad. 2. probl. 8. n. 61.* difficultas partus facilitatur mediante phlebotomiâ, mediis, quin ultimis etiam gestationis mensibus adhibitâ, quod multorum celeberrimorum Medicorum calculo hodiernum confirmatur, sed etiam ipso instante partu id sæpè consultum est. Liceat hanc in rem laudare illustrem *Coi locum l. 1. de morb. mul. c. 103. t. 11.* ἢν δὲ κύστα, inquit, πολλὴν χρόνον ἐπέχη, καὶ μὴ δύνη πεκῆν, ἀλλ' ὠδίνῃ πλείους ἡμέρας, νέν δὲ ἦ, καὶ ἀκμάζη, καὶ πελύαιμῳ τῶμιν χεῖρας ἐν τῆσι σφυρεῖσι φλέβαις, καὶ ἀφαίρειν τὰ αἵματῳ, πρὸς τὴν δύναμιν ὀρῶν. Si verò prægnans multo tempore cohibeatur, & parere non possit, sed diebus pluribus ex partus doloribus laboret, sit autem juvenis, in vigore & multo sanguine referta, secare oportet venas in malleolis, & sanguinem detrabere virium respectu habito. Confer *Mercatum l. 4. de aff. mul. c. 3. p. 713.* & *Casalpianum art. med. l. 8. c. 18. p. 617.* Confirmat verò id præ aliis *Binningerus*, qui *cent. 3. obs. 75. p. 343.* partum difficilem saphenæ apertione feliciter promovit, & *cent. 4. obs. 9. p. 385.* ubi illam pluribus præsentaneo fuisse remedio asserit.

Cum verò plures memoratæ sint causæ affectûs, removendis iisdem quoq; inhærebimus, attendenda verò imprimis venit *angustia viarum*, tanquam causa notior, frequentiorq;. Debetur huic emollitio viarum, tum internis procurata, tum externis. Sic *Crato consil. 363.* fœminæ quamprimùm dolores sentit, *jus gallinæ* præbet, & si non cessant, *luteum liliorum* seu *antheram* ei juri incoquendam suadet. Sic *oleum olivarum* ante partum sumptum commendat *Borellus* (ut & *aquam ophioglossi*) *cent. 2. obs. 25.* item *oleum amygdalorum dulcium* ad ʒj. vel alteram in partu difficili commodè præbetur, ceu exempla hujus rei novit *D. D. Præses*, & annotavit *Trincavell. l. II. prax. c. 24. p. 426.* & *Binninger. cent. 5. obs. 71.* Sic *ficus* & *dactyli* eo fine commodè à gravidis comeduntur, & *passule minores* uno vel altero ante partum mense masticatæ, eo, quod exfugitur, deglutito proficiunt.

Balnea

Balnea ad laxandas vias, ossaq̄, tūm etiam ad emollien-
da ligamenta apprime conducunt, ultimis mensibus com-
modè usurpata:

R. rad. malv. alb. lil. alb. ā. ℥ij. bryon. ℥j.

herb. branc. ursin. melil. mercurial. violar.

parietar. artemis. ā. m. iij. sem. fœni græci ℥i℥.

conciſa D. ad sportam S. Species jam Bade / cui lac et-
iam ad aliquot cantharos affundi potest.

Balnea ad facilitandum partum ob angustiam uteri
maximè utilia esse, & quidem præ emplastris, ex emollien-
tibus licet itidem paratis, notat Jacchinus in l. 7. Rhas. c. 71.
p. 603. Commendat eadem prægnantibus, sed parcius & jam
propè infantariis Bacc. l. 7. de therm. c. 26. p. 481. & c. 33. p.
489. olei simplicis infesum quoq̄ in difficulter parientibus
utiliter administrari scribit, quòd vias dilatet, poros ape-
riat, & dolores mitiget.

Linimentis quoq̄ emollientibus infimus venter, lum-
bi ac regio circa os sacrum, pectinem, ossa pubis, pudenda-
que cum cervice uteri illiniri possunt.

R. ol. lil. alb. chamom. ā. ℥℥. Qt. rosar. jasmin. ā. gut. vj.

gumm. ammon. ℥j. sperm. ceti ℥j. pingued. cap.

medull. crur. vitul. ā. ℥ij. M. super lento igne

D. ad pyxid. S. Weich. Salbe.

Facilitare etiam partum remorantem, præcipuè si alvus
adstricta sit & feces indurata, licet clysteribus, qui non
rarò utiles sunt eluendo intestinum rectum & ob viciniam
uterum stimulando, quod expertus est Heurnius 5. aph.
comm. 34.

R. rad. alb. malv. ā. ℥j. bryon. ℥℥. herb. 5. emoll.

flor. melil. chamom. ā. m℥. sem. fœnic. ℥ij.

Coq. in f. q. lact. bov. colaturæ ℥x. adde elect. lenitiv. ℥j.

ol. momord. ℥ij. spec. diacastor. ℥j. sacch. Thom. ℥vj.

M. D. ad vesicam cum pertinent.

Notabile est experimentum ad difficilem partum ol. mo-
mordica, ab ipsâ signaturâ inventum, quippe fructus seu
poma matura in manu dissiliunt, quod à se admirando

cum successu in clysteribus & linimentis huic fini debitis usurpatum affirmavit *D. D. Præsidi Excellentissimus D. D. Volcamerus, Archiater Reipubl. Norib. idemq̃ P. Bayr l. 15. prax. c. 9. p. 444.* commendat ad illinendum orificium uteri, unde & consultum est, ut loco *olei communis* vel *lil. alborum* hoc utantur obstetrices.

Membrana, si crassiores quàm ut fœtus perumpere possit, hoc oleo inungi poterunt:

Rx. ol. nucum, sapon. Ven. ā. ʒj.

M. D. ad cochlear. S. Weich. Del.

Hoc non succedente Chirurgia promit lancettam vel scalpellum, quo durities dividitur, cautâq̃ incisione egressuro infanti via recluditur.

Carnis excrescentia aut *verruca* si qua viam obsederit, adeoq̃ ob magnitudinem transituro puero viam denegaverit, re moram patiente, unguento ad *verruccas & carunculas Augustanorum*, vel filo sericeo arcè constringendo, ut intercepto nutrimento emoriatur ac decidat, auferetur; aut necessitate urgente forcice abscindi poterit, & ad sistendum sanguinem pulvis sequens inspergatur:

Rx. lap. hemat. boli armen. nucist. tost. ā. ʒß. sangu. dracon. ḡ. vj. pulverifata D. ad chartam S. Blutstillendes Pulver.

Calculi vesicae, qui ob magnitudinem & molestiam angustum etiam infanti reddere solet exitum, curationem atq̃ modum extrahendi vide apud *Guilielmum Fabric. Hildan. lib. de lithotomiâ cap. 11. & 12.* Hæc verò cum morbido hoc jamdum statu ob immensos dolores, individuos operationis comites, locum vix inveniatur, prætereà ob ingentes accedentes lipothymias priùs anima à corpore, quàm calculus separetur, igitur acquiescendum inunctionibus emollientibus ac laxantibus, aliisque accommodis, numenque Divinum pro felici eventu sollicitandum.

Hæmorrhoidum tumor cervicem uteri opplens discutietur *amuleto* laudatissimo ad hæmorrhoides *D. D. Præsidis*, unguento ad hæmorrhoides *Norinbergensium*, vel fomento de *linariâ*, neq̃ enim unguenta æquè conveniunt, aut hoc *peffario*,

Rx. rad.

Rx. rad. irid. filipend. ā. ʒij. gentian. ʒj.
herb. byssop. beton. thym. ā. mʒ.
F. omnium pulvis & cum mucilag. tragac. Aq. fœnic. pa-
muluor. rat. f. q. F. l. a. pelli duo S. Mutter Zapffen.

Scirrhus uteri vel ejus cervicis decocto hoc uterino corri-
gi potest.

Rx. rad. scrophular. filic. levistic. ā. ʒj. cort. ebulli, sambuc.
sem. malo. ā. ʒʒ. alb. ʒij. fœnic. ʒj.
flor. chamom. melil. ā. mʒ. F. decoctio in lacte vaccino,
colaturæ ʒʒ. adde unguent. dialth. ol. laurin. ā. ʒʒ.

M. divid. in tres part. æqu. ac applicentur convenienter.
Musculi abdominis, qui ad excludendum fœtum suum
quoque addunt, si à paralyfi forsan inutiles redditi, empla-
stro hocce sublevabuntur.

Rx. axung. castor. gumm. opop. sagap. terebinth. ā. ʒʒ.
euphorb. ir. flor. ā. ʒʒ. cera. q. s. F. l. a. emplastrum,
extend. super alutam. S. Fluss-Plaster.

Ad confortantia etiam pertinent ex manuactione
DD. Præsidis prax. clin. mss. de morb. mul. tum oleosa aroma-
tica, de quibus jam diximus, uti ʒ succin. alb. expertum
est, vid. Grüling. cent. 1. observ. 80. Borell. cent. 3. obs. 52. it. Ru-
land. cent. 3. obs. 66. ubi tamen dosis magna nimis posita est,
vix imitanda, ol. Heraclin. idem cent. 3. obs. 42. Alii substi-
tuunt, vel eidem addunt ʒ cinam. quò etiam crocus, succi-
num, cinamomum, cassia lignea, diptamus & similia pertinent;
tum nervina, nervos enim roborantia robur expulsionì ad-
dunt, ceu Zzrina & specif. cephalicum eo nomine, encomio
Langii miscell. curios. p. 97. optimè se gerunt, & experien-
tiâ DD. Præsidis commodè cum aliis commiscentur, præ-
cipuè verò, quæ solaris nomine ex Ungariâ venit. Ab-
sorbent enim non solùm humores peregrinos acidos, sed
& vigorant partes membraneas & nervosas. Sic etiam
essentia & pulvis secundin. preparatæ, pulvis item de vase umbi-
licali in hunc censum venit. Pulverem ægagropilarum
Zvelferus append. ad animadvers. p. 90. mirè extollit, exem-

pla recenset *Velschius Tr. de egagrop. p. 2. dec. 2. cur. 5. & 6. p. 61.*
lachrymam cervi *Schröderus Pharm. l. 5. p. 283.* pro certo ex-
perimento habet.

Rosa hierichuntina in calicem vini coniecta poculum
præbet ad partum difficilem magnatibus æstimatum, vix
tamen expectationem alio, quàm vini ipsius nomine sa-
turat.

℞. ▽ *cardiac. ʒij. bened. serpilli Myns. ʒi.*
ess. ad partum *Mich. ʒi. croc. ʒj. sirup. adiantb. Fernel. ʒvj.*
M. D. ad vitrum S. Treib Trancß auff 2 mahl.

℞. ▽ *dominar Myns. ʒij. secund. hum. elix. uterin. Croll. ā ʒiß*
⊖ *volat. succ. gr. x. sir. de succo mercurial. ʒiij.*
M. D. ad vitrum. S. Treibende mixtur/davon ein
Löffel voll auff einmahl zu nehmen.

Ad parientis *lipothymias*, si fortean urgeant, necessum
quoque erit, ut epithema quoddam sit in promptu, quo
nares, tempora, cordis regio, pulsus manuum &c. irroren-
tur. v. g.

℞. ▽ *damascen. lavend. ā ʒi. epilept. Lang. cinam. ā. ʒvj.*
acet. lavend. ʒij. M. S. Anstreich. Wasser.

Colophonem addunt *pellentia*, sive *sola*, sive cum con-
fortantibus *mixta*, quorum quædam etiam utroque fun-
guntur officio, sive per se id præstent sive per accidens.

Laudatissimus inter hæc est *borrax*, experientiâ omnium
adeò practitorum & imprimis *D. D. Præsidis* quoque cele-
bratus, unde basin constituit ferè medicamentorum o-
mnium partum promoventium hujus ordinis, ut etiam
quidam sub *⊖ is uterini*, alii sub *lucina* nomine, vid. *Lang.*
miscell. cur. p. 102. alii alio occultent.

Mirandum hinc est, quod *Hoffmannus* scribit *paral. of-
fic. c. 55. p. 533.* pulverem ex borrace secretissimum olim habi-
tum pro ægrè parientibus, sed nullum se bonum effectum
vidisse, in quo meritò à practicis & experientiâ destituitur
vir alioquin celeberrimus.

Alterum ex passim commendatis præcipuum, neque
enim hîc vacat plura compilare, est *hepar anguilla*, unâ
cum

cum felle exsiccat. & ppt. quod tantoperè deprædicat
Helmontius, idque ducenties & amplius probatum, l. jus duum
vir. S. 46. p. 247. quo de & ejus agendi ratione videri meren-
tur, quæ commentatus est D. D. Præses Anno II. Ephem. obs.
127. pag. 209.

Tacemus, quæ aliàs ex ἐμμηναγωγόν, præcipuè fortio-
rum classe v. g. sabinâ, dictamno, quo ob hanc causam olim
Lucina coronabatur, anther. lil. alb. &c. plurima apud scri-
ptores extant.

R. spec. diaborrac. Myns. ʒʒ. ii.
decoct. uterin. ex sabinâ, verben. artemis. ʒiij.
fir. de artemis. ʒʒ. M. F. Haustus. D. in fict.

S. SchmersWasser.

R. pulv. ad part. August. ʒij. hepat. anguill. ric. preparat. ʒj.
elaosacch. cinam. gr. vj. M. F. pulv. **S.** TreibPulverlein.

R. specif. ad part. D. D. Præses. ʒj. Detur singulis
3. 5. horis, tum confortandi, tum, si natura incli-
net, pellendi fine.

In subsidium prostant & pellentia ac emollientia, ape-
rientiaque externa alia, v. g. sternutatoria, unde Hippocrates
5. apb. 35. sternutationem pro bono habet signo in partu,
ubi ait: egrè parienti, oborta sternutatio bono est; & commendat
eadem l. 2. Epidem. s. 5. t. 43. exemplum hanc in rem elegans
videri potest apud Harvæum exercit. de partu p. 343. Sicut
ergò, teste Plinio, à coitu sternutasse abortivum est, ita in
partu salutiferum, hinc haut abs re censemus fore, si in bo-
nam spem naturæ sternutatorio quodam subveneri-
mus. e. g.

R. rad. helleb. alb. piper. alb. cubeb. ā. ʒʒ.
flor. majoran. ror. mar. lil. convul. ā. p. ij.
p. sem. nigell. ʒj. ambr. gris. gr. vj. M. F. l. a. pulvis
irror. ol. citri g. v. D. ad pyxid. **S.** NiesePulver.

Vomitoria urgente necessitate à nonnullis feliciter quocq;
usurpata constat, & recordamur Nobiliss. atq; Experientiss.
DD. Faschium PP. hujus Academiæ famigeratiss. Patronum ac
Præceptorem nostrum filialiter colendum præ aliis extulisse, pro-
priaque

priaque experiētiā' comprobatum nobis commendasse
viam vita. Observandæ tamen inprimis sunt cautelæ, quas
B. Rolfinc. Chim. in A. F. R. l. 5. f. 5. c. 13. & dissert. chim. de Œio c. 21.
optimè recenset, cum, verbis DD. Præsidis, vomitoria inter
illa etiam sint, quibus Medicus famam lucrari vel perdere
potest. Directo ergò prius ab obstetrice ad os uteri infantis
capite, & reliquis consentientibus, si rectam foetus obtineat
figuram, & ante fores expectet exclusionem, exhiberi po-
test v. g. sequens.

Rx. ꝑ vit. ꝑ. ij. aq. lil. alb. sabin. ā. ʒj. sirup. artemis. ʒiij.
M. S. Drecherāncklein.

EXTERNE quoque adhibere medicamenta moris est, ut
fomenta, linimenta, suffitus, ligaturas & alia. v. g.

Rx. myrrh. castor. anthophyll. ā. ʒj. cass. lign.
visci salic. rasur. lign. aloës ā. ʒj.

M. F. pulvis grossus S. Räucherpulver.

Pertinet huc *suffimigium croci*, vid. Lauremb. app. plant. l. 1. c. 6.
p. 45. item propriorum pilorum. vid. Bodæus à Stapel. in Theo-
phrast. p. 498. baccarum Juniperi, lichenum equorum, un-
gulæ asini, è fimo bovis maris, adipis ex Hyenæ lumbis &c.
Attamen suffitu non nisi urgente necessitate (ne obvius par-
tus suffocetur, quod evenisse quibusdam nos ipsi novimus)
utaris, monet Ludov. Bonaciolus de fat. form. cap. 8. p. 307.

Ufus si videatur postulare, venter pudendaq; illiniri hoc
unguento possunt.

Rx. ungu. aregon. ʒiʒ. bals. uterin. Schröd. ʒj. pingu. viper. ʒj.
extract. sabin. ʒij. ol. chamom. ꝑ. cera q. s.

F. l. a. unguentum. S. Treibende Mutter. Salbe.

Pessus suo etiam non carebit effectu.

Rx. succi inspiss. artemis. ʒj. liquidambr. pulv. sabin. ā. ʒj.
cinam. myrrh. succin. ā. ʒj. ol. chamom. q. s.

F. l. a. pessus, involv. panno sericeo cum filo.

Inter ligaturas corium humanum, cervinum, & alia adhiberi
solent, magis tamen, ex sententiâ D. D. Præsidis, id præstant
manifestâ vi, quod compressionem abdominis juvant,
quàm occultâ.

Quæ-

Quaestio hinc oriri posset, an *amuletis* quoque hoc in casu utendum? respondemus cum *Mich. Döring. de medicina & medicis sect. 3. cap. 7.* amuleta in univ. damnanda non esse, & locum hinc ipsis quoque concedi posse, dummodo absit superstitio characterum, vocum & figurarum, quae *Heurnius lib. 3. prax. general. cap. 28.* appellat noctuas quasdam Diaboli ad aucupia animarum humanarum natas. Nam cum à substantiæ quâdam proprietate, vel (ut aliis loqui libet) vi magneticâ pleraque operentur, salutarem omnino rerum istiusmodi usum fuisse, non raro ab autoribus fide dignis compertum est. Sic decantatissimus est *lapis aetites*, qui femori alligatus partum promovet, sed brachio, eundem retinet, à partu autem statim removendus est, ne eveniat, quod apud *Valleriolam l. 1. obs. 10.* Valentia Allobrogum Ponsoni Joberti conjugii, cui cum aetiten cruri alligatum à partu statim non detraxerant, post paucas horas utero foras prolapsa mortem attulit. Negat tamen hanc vim, præter *Gesnerum & alios, Primirosius l. 4. de vulg. error. cap. 57. p. 556. & de morb. mulier. Videantur hanc in rem plura apud Bausonium l. de lap. aetit. c. 5. p. 41. seq.* Adhiberi potest, non tamen soli huic æquè fidendum est.

Cor gallinae nigrae exemptum sericoque filo transfixum ac sinistræ coxæ alligatum adhuc palpitans, illustrem foeminam, cum omnia ad partum facilitandum frustra essent adhibita, bonâ fide affirmat parturientem mirificè & illicò juvisse *Goclenius in synarth. magnet. p. iii. vid. Camer. histor. memor. p. 1. cent. 4. p. 226.*

Oculum leporis mense Martio capti vertici impositum partum difficile expedire, scribit *Hartmannus prax. chim. id. que confirmat D. D. Major. in trib. invent. medic. invent. 3.*

Partu sic feliciter emoto, restat de *secundinis* fimus solliciti, quas, si diutius restitent, & opus id videatur, expellere conabimur tum jam dictis, in primis *testibus equi preparatis*, quos *Gesnerus, Fonseca & Heerius* tantoperè dilaudant, tum his pilulis:

E

R. extr.

*Rx. extr. sabin. aristol. rot. ā. ʒʒ. fecul. bryon. ʒj.
pulv secund. hum. ʒʒ. cum s. q. sirup. de arter. is.*

*F. l. a. pil. pro duabus dosibus. S. Treibend. ʒ illen zur
Stachgeburt.*

Ad hunc scopum commendatur etiam vapor lixi ii ex sco-
riis reguli ʒii parati, inque uterum per infundibulum immissi, &
jam memorata. Ad dolores post partum sumi possunt, mar-
melada carminativa Mynsichti, rad. Zedoar. vel galangæ, vel
utriusque anaticæ partes. Omnium instar sunt essentia car-
minativa & elixir. uterinum D. D. Præsidi; externè verò balsa-
mum puerperarum ex ʒo Zobeli, Tartarolog. mss. p. 2. c. 21. cum
ol. carminat. Myns. arcanum est. Ad movenda lochia, præter hæc
noduli D. D. Præsidi usuales ex melissâ, flor. anthos, rhabarb. croco,
anthophyll. Zedoar. galang. adhibentur quàm commodissimè.

Fœtus quando mortuus est, atque adeo difficultas
pariendi major, quamprimùm ut expellatur annitendum,
ne, si putrescat, matri immania importet symptomata,
mortem nonnunquam post se trahentia, quemadmodum
observationes apud autores passim testantur. Rarum e-
nim est, quod legitur quibusdam per plures annos reman-
sisse, & vel petrificatum sepulchrum in utero invenisse, vel
naturæ provido robore tandem demum secessisse, quale ex-
emplum apud Lang. l. 2. epist. 39. extat memorabile.

Neque verò differt quoad pharmaciam curatio, sed
eadem, quæ abundè commendavimus, locum habent o-
mnia, & quidem paulò fortiora. Sic & supra memoratus
pulvis cephalicus à D. D. Illmero, obs. 49. Ephem. Germ. ann. 1. La-
pis bezoar ab Hildano in epist. ad Döring. pag. 905. licet a-
lio respectu commendatur, præstat enim tunc putredini
resistere ac cor communire, undè balsamica alia tum in hoc
casu, tum in retentis secundinis & lochiis ex usu sunt.

Rx. diptamn. alb. cinam. testic. eq. borracis ā. ʒʒ.

*castor. myrrh. succin. ā. ʒʒ. M. F. pulvis, divid. in tres
part. æqual. S. Pulver die todte Frucht abzutreiben.*

Tacemus Zacuti Lusitani remedium pro extrahendo fœ-
tu mortuo secretum & facile ex suffimigio uvarum putridarum,
pessum Fontani ex rad. juglandis & alia. Pharmaciâ verò nil effi-
ciente

ciente, ad chirurgiam ut confugiamus necessum erit, & ferro tentandum, quod aliis non licet exequi.

Ἐξείρεσις hæc seu ἐμβρυελκία duplex est, fit enim vel manu vel instrumentis. Sic solâ manuum solertiâ & industriâ, sine chirurgicis auxiliis instrumentisve, munitum se fœtum mortuum extraxisse gloriatur *Carol. Stephan. l. 3. de dissect. corp. hum. c. 2.* & alii; manum scil. oleo delibutam sensim in uterum immittunt, & fœtum ipsâ apprehendentes ipsum leniter extrahunt. Hoc pacto sæpè obstetrices accuratiores commodè liberant puerperas.

Alter verò modus fit per *uncum*, quæ operatio uti antiquissima est, ita in Rebus publicis benè constitutis seu chirurgis expertioribus, ceu id tum alibi, tum ante aliquot annos in illustrissimâ quadâm aulâ factum meminit *DD. Praeses*, seu potius Medicis, uti Amstelodami hodiè *DD. Ruyschius* id munus feliciter gerit, committitur.

Antiquissimam diximus, quippe non solùm manualementem delibatam commendat *divinus senex l. de superfæt. c. 4.* sed etiam ὄνυχον unguem, non digiti, sed instrumentum commendat expressè. Plura de hoc ipso, tum de posito, tum de cautelis quoq; dici possent, sed instar omnium sint, quæ *Medicorum Cicero l. 7. c. 29.* uberrimè edocuit. Nos ex communicatione *D.D. Praesidis* laudamus præcipuè & unice *Tra-ctatum de extractione fœtus mortui per uncum Nicolai Fontani*, ubi & plurima tractat, quæ in genere huc faciunt, partus difficilis remedia, & modum extractionis verum tradit, & autores quamplurimos citat, qui de hæc ipsâ ἐπιχειρήσει scripserunt, quibus addi possunt *Hippocr. l. de exsēt. fæt.* & quæ *Zacutus Lusitanus, Stephanus, Bauhinus & Scipio Mercurius p. 447. & 452.* & alii consignarunt.

Requiritur verò, ut *D.D. Praeses* nos docuit, præter vires ægræ ipsius, & cordatum artificis animum, i. peritia anatomica, sitûs fœtus uteri, ejusque vasorum, tum ossium in matre & præcipuè fœtu. 2 Ne uterus lædatur, hinc 3. ut omnes ictus unci manu excipiantur. 4. index & medius digitus sinistrae manus potissimum agant. 5. ἡσυχῆ ἢ τὸ ποιεῖν, μὴ

ægē. Binu, sensim id faciendum est, non violenter, ne uterus læ-
datur. 6. ut secundinæ simul prodeant, quo casu ex chere-
folio medicamina superioribus addimus.

Instrumenta quod attinet, uncus à Sculteto descriptus
minus tutus est, unde etiã B. Rolfincius, & eodem doctore
D.D. Præses illum non admittunt, meliora sunt, quæ Welschius
in Scip. Mercur. & Illmerus l.c. describit, commodissima verò
sunt & nobilissima Rolfiniana, ad omnes casus aptissima, a-
micè ab eodem communicata cum intimioris admissionis
auditoribus. Neq̃ tamen attinet h. l. longius differere,
quo casu vel extractio, vel per partes excisio, & quomodo
perficienda sit, cum hæc peculiarem exposcant tractatio-
nem.

Altera chirurgica operatio huc faciens est *partus cesare-*
us, ubi exciso utero fœtus in lucem trahitur, quicquid etiã
circa nomen hoc moveant nonnulli. Crudele remedium
est, quandoq̃ tamen usu efflagitante salutare.

Duplex dici potest actio hæc, vel *vivâ* matre instituta,
vel eãdem *mortuâ*. Posterior nihil habet dubii, impunè e-
nim secare licet mortuum cadaver, ut vivus profiliat, & e-
ruatur ex angustiis suis fœtus. Et hæc ratione (licet vulgò
absq̃ue fundamento, transcribendo alii ab aliis, quidam
confundant, quæ diversa esse certum est) teste *Solino c. 4.*
p. 18. n. 85. Scipio Africanus prior, *defunctâ* matre quod exci-
sus utero in diem venerat, primus Romanorum Cæsar dictus
est. Quod verò de Julio Cæsare primo Imperatore id quoq̃
scribunt quamplurimi, decepti nomine Cæsaris fecêre,
ipsum verò hoc modo ex utero cæsûm falsissimum est. Ma-
turè autem id fieri oportet, vix enim fieri potest, ut ablato
ambiente calore corporis materni, diu sine noxâ persistere
possit incolumis fœtus. Hinc etiã cautum est *lege Regiâ*
dig. l. 2. t. 8. de mort. infer. & sepult. adif. prægnantem mor-
tuam non nisi infante prius exciso sepeliendam.

Altera verò, quæ *vivente* matre instituitur, à *Rouffeto* ejus-
que commentatore *Baubino*, & hinc aliis pluribus explana-
ta est, non sine mirandis exemplis, imò inter hos *Scipio*
Mer-

Mercurius lib. obstetric. p. 455. testatur hanc operationem in Galliâ tam esse notam ac communem, quàm in vehementibus capitis doloribus venæsectio in Italiâ.

Nos brevitatis studio pluribus ea ex citatis autoribus, *Fieno* item aliisque delibare super sedemus. Dictu facilis est, factu difficilis, terroris plena sectio. Non impossibilis est, (quis enim obloqui velit experientia?) sed uti monstra fiunt in Medicinâ etiam hoc in casu, ita nisi extrema urgeant, (verba sunt *DD. Præsidis l. c.*) & iussus, vel aliâ prægnanti de causâ motus Medicus non aggrediatur eandem, inde enim convulsiones & mors facile oriuntur. Quæcunque verò successerint præter spem mala, uti fieri solet, non tam fato quàm Medico tribui hinc solent.

Restat nunc, ut de *DIÆTA* puerperæ post partum prospiciamus. In *VITALI*, *AER* sit paulò calidior, & frigidus omnis vitetur, quantum enim, vel ad uterum incautiùs tunc admissus, vel totum etiam corpus, ambitu suo alteret puerperas, vix dici potest. Hinc enim sanguis quasi coagulatur, in motu perstat, grumescit, & dolores, tormina, anxietates, lipothymia, & febres sæpenumerò maligniores promptè sequi consuevêre. Calido verò omnia benè habent, disponitur ad lenem sudorem corpus, & perspiratione hæc liberâ præservatur corpus à purpurâ, & aliis puerperarum affectibus non contemnendis.

In *NATURALI* *CIBUS* quoque conformis sit intentioni, scilicet, ut *lochis* s. n. fluant, in quo salus puerperarum potissimum consistit. Acidi cibi omnes exulent, crudi itidem & flatulenti, fructus horarii omnes, pyra, pomaque, exceptis *Borsdorffianis*, quæ concedi possunt cocta. E piscibus truttæ, lucii juniores, cobites barbatulæ conveniunt. Nocent anserum, anatum & similibus humidiorum carnes; cochleæ, ostreæ, nimis pingua, salsa, frixa absint, lactucæ item, sinapi, cucumeres, cappares, lacticina. Laudandi verò in cibum veniant pulli gallinacei, domestici & Indici, perdices, attagen, alauda & turdus, leporum juniorum & capreolorum carnes, vitulinæ item, agninæ & bovillæ ju-

niores. Juscula gallinacea & avenacea cum passulis minoribus profunt, nec brassica cauliflora & caulorapum cum mace leniter cocta abesse jubentur.

Novit aliquot illustres personas *D. D. Præses*, quæ jure caponum tempore hoc, seu primis maximè diebus, contentæ esse solent cum fructu. Vinum puerperis, nisi adfuetis & tenuius, non convenit. Notavit in analectis suis aliquot exempla *D. D. Præses* febrium acutarum & lethalium, solius vini abusu ab incautis concitatarum.

IN ANIMALI QUIES ex usu est. Malè faciunt, quæ extra oleas, seu lectulum vagantur, nec naturæ litant debitâ quiete. Per novendium vulgò detineri solent magis, neq; id sine causâ in lecto.

EXCRETA & RETENTA, præsertim alvi, quoniam ob assumendum cibum boni nutrimenti paucique excrementi pauca erunt, suo tempore moveantur, sique, uti ordinariè ferè accidit, ob compressionem intestini recti prægressam, remorentur feces, infusis lenitivis, ad uteri purgationem simul respicientibus, blandè moveantur.

ANIMI PATHEMATA sint etiam proportionata; *ira* cum humores movendo facilè febres aliave mala causetur, vitetur, ideò adstantes talia objecta, quæ puerperæ iram proritant, amovere noscent, & potius jucundo sermone jocosâque narratione spiritus puerperæ reficient.

Tristitia quoque ac MOEROR omni tempore exulent, ista enim si foventur, indies vires sumendo, accrescunt tandem ad melancholiam, puerperis non adeò infuetam. *Augustinus 1. confess.* ait: ut memoria quasi venter est animi, ita lætitia atque tristitia quasi cibus dulcis & amarus, ille autem præferendus.

Soli D E O gloria.

Sexus

* * *
Sexus fœminei morbis succurrere tentas,
dum cathedrã scandis summos petiturus honores.
Gratulor his ausis, feliciter omnia cedant.

gratulabandus deprop.

Rud. Wilhelmus Krauß/
Phil. & Med. D. Prof. Publ.

Spes uteri gaudens educi in luminis auras
Sterq̄, quaterq̄, fores pulsat, Partunda vocatur,
adstat anus solers, venienti basia figit,
& comitem gratum reddit propago dolorem.
Ast si non patulas offendat pusio valvas,
& socio stipante carens surda ostia frustra
arietet, vis emoritur, non una manet mors.
Te ductore suis redduntur singula; fœtus,
natura & mater grates obstricta rependit.

Clarissimo Dn. Doctorando de novis honoribus
ex merito collatis gratulor animitus

PRÆSES.

Difficilis partus faciles jam donat honores,
quos Tibi felices comprecor, & patriæ!

Cl. Dno Doctorando,

Amico suo honoratissimo, prope-
rante calamo gratulab. pos.

Augustinus Henricus Faschius, D.
Prof. publ. Archiater Ducalis
Saxonicus.

Post longas hiemis noctes jam protinus insit
Altipotens anno neſtere ſerta novo.
Sic, & post multum repetitos arte medendi
Nixus, laureolam neſtit Apollo tibi.
Neſtit, & imponit capiti, quod ſospite partu
Tã pulchrum fœtum prodidit ingenii.

Hoc

*Hoc fertum viridis lauri florescat ad instar,
Atque suo fructu turgeat usque precor.*

Paucis hisce Nobilissimo atque Experientissimo
Domino LONERO, suo olim à teneris obse-
quentissimo, ac summè industrio discipulo,
jam verò Amico sincero, de supremo in ME-
DICINA obtinendo gradu ex animo gratu-
latur


M. FRIDERICUS Müller / Mellingensis &
Taubachensis Ecclesiæ Pastor & Adj.


Weburthen welche schwer und sonst gefährlich sein /
Hat Er in dieser Schrift / geehrter Freund / beschrieben.
Was schwer genennet wird / das geht Ihm leichtlich ein /
Weil Er Apollens Kunst sehr rühmlich hat getrieben.
Er fahre ferner fort / so wird für solchem Fleiß
Ihm die gelehrte Welt sich danckbarlich verpflichten.
Was an sich selber schwer und fodert Müh und Schweiß /
Wird Er ins künfftige mit leichter Müh verrichten.


Dem Herrn Doctoranden / seinem Hoch-
geehrten Gönner und sehr werthgeschätz-
ten Freunde / schrieb dieses / in Eil

M. J. G. Scheitz / von Weimar.










01 A 6605

ULB Halle 3
003 092 054



V 3 17





B.I.G.

Farbkarte #13

439

B. P.
 CA INAUGURALIS,
 DIFFICILI,
 Auctoritate
 EDICORUM in Almâ hâc
 Collegii,
 RESIDIO
lisimi, Excellentissimi
entissimi
 GII WOLF-
 EDELII,
 Theoret. Professoris
 ici Ducalis Saxonici Felicis-
 turæ Curiosorum Collegæ
 issimi,
s ac Promotoris sui filiali
enerandi,
 CENTIA
 nores, Insignia ac Privilegia
 imè impetrandi,
n examini submittet
 S Pöhner / Vinariâ-
 ngus,
 R. cIo Ioc LXXV.
 RI, horis ante- & po-
 lianis.

V Æ,
 LIS KREBSII.

